



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1650**

§. 1. Etiam è fabulis vtiliſſima trahi documenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

C A P V T X.

*Aliud valdè insignis calumniatoris exemplum & supplicium.*

§. I.

*Etiam è fabulis utilisima trahi documenta.*

**V**erti me ad alia, & vidi calumnias, Eccle. 4. 1.  
qua sub sole geruntur, & lachrymas  
innocentium, & neminem consolatorum: nec posse resistere eorum violentia, cun-  
ctorum auxilio destitutos, ait Ecclesiastes. His  
ergo, vt fiam consolator, ostendam, Deum  
esse auxiliatorem, ac vindicem. Vt autem  
parum refert, siue lacte caprarum, quæ len-  
tisco pascuntur, siue alio pharmaco sanes  
ægrorum; ita nihil interest, siue fabulis,  
siue historijs calumniâ afflictum consoleris.  
Æsopus, qui meritò sapiens æstimatus est,  
utilia monita sua non seuerè, neque impe-  
niosè præcepit: sed, vt Philosophis mos  
erat, salubriter ad perspiciendum, mentes  
animasque, hominum caussa, audiendi qua-  
dam illecebra induxit. Vt enim apes ex ama-  
rissimis floribus & asperrimis spinis mel sua-  
uissimum ac lenissimum colligit; sic etiam  
ex incredilibus fabulis, vtcumque decer-  
pi potest aliquid utilitatis. *Apud authores*

S. Aug.  
contr.  
menda-  
cium,

*secularium litterarum*, ait S. Augustinus, ut  
apud Horatium, *mus loquitur muri, & mu-  
stela vulpecula*, ut per narrationem fictam ad  
id, quod agitur, verax referatur significatio.  
Vnde & *Aesopicas fabulas ad eum finem rela-  
tas*, nullus ineruditus fuit, qui putaret appellan-  
da mendacia. Haec & in sacris libris, ut in libro  
*Iudicum*, cum ligna sibi regem fecerunt, &  
loquuntur ad ficum, & ad vitem, quod totum  
fingitur: *ficta quidem narratione, sed veraci  
significatione haec dicuntur*. Et vtiliter dicun-  
tur, quia quemadmodum iris nihil aliud est,  
quam relucencia solis refracti in nubibus:  
ita fabula quaedam est veri representatio.  
Verum autem dicere, vtile est; licet saepe in-  
gratum audire; ut videre fuit in Phariseis,  
& vniuersim apud Iudaeos, quorum alios  
parabolis suis perstrinxit salubriter, alios  
non sine solatio erudiuit Christus, qui lo-  
cutus est eis multa in parabolis; & sine parabolis  
non loquebatur eis. Quoniam igitur multi  
sunt, qui non solum calumnias struunt, sed  
etiam calumnias calumnijs superaddunt. Vt  
mendacium mendacio tegant,

Quid. lib.  
1, de art'

( Sic ne perdiderit, non cessat perdere ludor  
Et reuocat cupidas alea saepe manus )

etiam nos medicinae medicinam appone-

mus

mus, siue ea sit ex historici, siue è Poëtæ taberna sumpta. Parum id moror, in vtroq; genere possumus, seu quid factum, seu quid faciendum demonstrare.

## §. II.

*Lucij mercatoris, & Nuti famuli eius calumniatoris funesta tragœdia.*

Author est Ioan. Baptista Giraldus Cynthius nobilis Ferrariensis, Italicus scriptor, apud quem hæc leguntur. Alfonso II. Duce Ferrariensi, Lucius honesti nominis, & copiosus mercator magnum sanè quæstum ex lana & sericis mercibus faciebat. Hic, in spem tabernæ custodiendæ, puerulum ex lapide emptum, liberaliter educabat, quem *Nutum* appellauit, *Ponirum* dictum antè, quàm emeretur, vtriusque nominis mensuram egregiè impleturū; itmò Theocrinem Tragicum Mundo daturum. Videbat enim ingenium in eo Mercurialibus negotijs aptum. Itaque confidebat, se præsertim magistro, insignes eum progressus facturum, eausurumque aliquando & ipsum ditissimum institorem. Quam ob causam, vbi primùm adoleuit, omnem illi tabernæ suæ concredidit administrationem. In fauore indolesæpe sanguinem præcedit. Mercator igitur,

L 5

quam-

Ioan. Bapt. Gyrald. Cynthius part. 2. Hecatomitorum Italicor. Decade 8. Nouella. 1. pag. 117. Venet. 1584. ap-presso Fabio & Agostin. Zoppini &c.